## **Landesbibliothek Oldenburg**

## Digitalisierung von Drucken

## Primae Lineae Doctrinae De Protestatione Cambiali

Hufeland, Gottlieb Jenae, 1799

VD18 12256064

Vorwort

urn:nbn:de:gbv:45:1-8845

ncidit nuper in manus volumen actorum judicialium, in quo quaestio principalis, de qua inter litigantes disceptabatur, a vi et essectu protesiationis cambialis pendebat. Qua de re cum libros jurisperitorum evolverem nulla occurrit ejus doctrinae expositio, quae satis probabilis esse videretur. Enimeero omnis de cambiorum juribus locus nondum est ea claritate et perspicuitate expositus, quae in deductionibus jurium maxime necessaria est, nec argumenta ex generalioribus juris principiis ducta ita inter se apta et nexa sunt, ut nihil ad persuasionem certam desideretur. Attamen praeprimis meditationes doctorum de protestatione in cambiis maxime istis egere virtutibus in quavis disciplina desiderandis, facile apparebit omnibus, qui easdem accuratius perpendere velint.

emotion one de estatement de la combinita de la combinitation de estatement de la contraction de la cont



Ut enim taceam libros, quibus omnem doctrinae de cambio ambitum complectere siuduerunt auctores, inter antiquiores de protestationibus cambialibus tractatus maxime nota est Ioh. Iac. Uffenbachii disfertatio, Altdorfii 1715 edita, et per thefaurum juris cambialis celeberrimi Besekir, in quem \*) relatam illam reperimus, magis adhuc divulgata. Sed leviter tantum ea tangit ipsam, quam inscriptio promittit, materiam, in omnia alia potius de cambio momenta multo liberius exspatiatur, ita ut nec fontes universae hujus disputationis recte indagentur, nec rivuli praecipui diligenter fatis enumerentur. Faustiori successu rem tractavit Christ, Heinr. BRE v-NINGIVS in dissertatione de protesiatione contra acceptationem conditionatam literarum cambialium \*\*); fed tum thema dissertationis ipsum, tum omnis scriptiunculae ambitum tam augustis circumscripsit limitibus, ut pauca tantum inde in disciplinam nostram redundent emolumenta. Habes quoque brevem materiei nostrae expositionem in Christ. Donn Donfii dissertatione de termino peremtorio folutionis et protestationis cambiorum \*\*\*) (§. XXII. fqq.); fed in eadem principales quaestiones vix delibatae omnesque solummodo fere ex legibus et consuetudinibus Lipsiensibus solutae sunt, Occurrit porro tractatio quaedam

<sup>\*)</sup> Tom I p. 553. 11 bildb and girlib sive up ni and intilly

<sup>\*\*)</sup> Lipf. 1764 - eandem quoque in finus suos recepit BESERTE thes. cit. T. I. pag. 594 sq.

<sup>\*\*\*)</sup> Lipf, 1710. et in thef, BESEKIANO T, I, pag. 754. fqq.

hujus doctrinae in Christiani Gottlieb RICCII exercitationibus in universum jus cambiale \*), spissam quidem farraginem legum aliorumque locorum, quamvis non omnino inutilem, continens; claram tamen totius materiei deductionem et explicationem frustra ibi quaeres. \*\*)

Ipsa novissima, quae quidem mihi innotuit, hac de re disputatio a perill. GMELINIO proposita \*\*\*) circulo logico manifesto innititur; id quod ipsi auctori meritissimo, cujus pace hoc dictum sit, si nunc quidem eandem denuo perpendere velit, persuasum fore nullus dubito. Aperit sibi scilicet vir doctissimus disquisitionis aream definitione sequenti: Protest ist in der Sprache des Wechselerchts die ausdrückliche und gesetzmäsige Vorbehaltung solcher Rechte, deren Fortdauer von der Vollziehung dieser Handlung nach der Anordnung der Gesetze abhängt. Videbit quilibet candidus rei indagator hac definitione omnem expositionem aperte ita constitui, ut a protestatione combiali illa deducantur jura, quae ab illa pendeant,



<sup>\*)</sup> In exerc. X. fect. V.

<sup>\*\*)</sup> Saepe quoque in hisce exercitationibus loca aliorum auctorum ad verbum fere descripta, et saltem integris legum praescriptis amplificata, offenduntur; cf. e. g. loc. cit. §, 34. et Heinecciti elem. j. camb. cap. 4. §, 36. aliaque.

<sup>\*\*\*)</sup> Grundzüge einer Theorie vom Wechselprotest im allgemeinen in G m E-LIN's und ELSAESSER'S gemeinnütz, jurist, Beobachtungen und Rechtsfäll, Band III, S. 215, ff.

eademque iterum ad haec jura fulcienda necessaria perhibeatur, quae absque eadem omni carerent fulcro. Nullam omnino exinde nasci theoriam in aperto est, omniaque eo redeunt, ut quae sint legum praecepta singula, memoriae tradas et teneas. Ad istam vero memoriae operam theoria et disciplina minime opus est, neque per omnem istum viri celeberrimi tractatum aliud edocemur, nisi hoc vel istud jus a protestatione ex legibus praescriptis suspensum non esse. Pugnant autem inter se legum particularium praecepta; sed ne haec quidem theoriae fuae sic dictae, quam ibi propositam invenis, et regularum generalium exceptiones cenfendas esfe putat auctor \*), cum scilicet eo casu illa vel ista jura a legibus protestationi subjecta non essent. Enimvero hac via si incedas, nihil omnino, quod disciplinae nomen mercatur, te perfecturum, luce clarius esse videtur. Apparet autem hoc ipfo exemplo, quam maxime opus sit firmis et certis regulis de optima methodo theoriae, quae legibus particularibus introductionis et supplementi loco inservire poffit, constituendae, circa quam alio loco jam plura monui. \*\*) Nunquam enim legum particularium usus immediatus hic sufficiet; nec earundem concentu et convenientia juvaberis, id quod in ipsis praemissis exemplo novo claro et indubitato elucescit.

Ne com clem i comb. com 4. 5 go allagno

Time the wish the cinery Treety was Il additional the west free

<sup>\*)</sup> Ibid, pag, 218, as a minima a zasszacal and a zit

<sup>\*\*)</sup> cl. meine Einleitung in die Wissensebaft des dentschen Privatrechts. Jena 1796.

Ne tamen censeas, in aliis libris, qui de cambiis generatim exponunt, te forte offenfurum esse meliorem hujus rei evolutionem, consulas quaeso novissimam juris cambialis tractationem a. b. PVTTMANNO expositam et nuper denuo recognitam \*), vel etiam opus ceterum utilissimum et maxime commendandum de commerciis, quod celeberrimo Byschio debemus \*\*); neque in his quidem libris expolitionem perspicuam, adaequatam et sufficientem, neque casus omnes vel saltim maxime memorabiles, in quibus protestatio interponenda sit, complexos invenies, neque ipfius naturam ita ante oculos positam videbis, ut, quae sit ejusdem cum ceteris juris doctrinis cohaerentia, luculenter appareat. Superest quidem adhuc libellus de cambiis inter omnes recentiores primo fere locó nominandus, quippe SIEVEKINGII (negotiatoris Hamburgensis celebratissimi, praematura nuper eheu! morte patriae, literis, amicis et suis erepti) legis novae cambialis formula publice promulgata \*\*\*); in quo quidem, ut cetera praeclare, sic quoque protestationis indolem ingenuam expolitam, omnesque de eadem

re-

hanked the monother of incorporate or had payed

<sup>9)</sup> PVTTMANN'S Grundsätze des Wechselroches, Leipz. 1795.

S. 111. 199.

<sup>\*\*)</sup> Theoretisch- praktische Darstellung der Handlung. Hamburg, 1792, Tom. I. pag. 72.

<sup>\*\*\*)</sup> Materialien zu einem vollständigen und softematischen Wechselvecht mit besondrer Rücksicht auf Hamburg. Hamb. 1792.

regulas inter se concordantes videbis. Ipsa tamen ejusdem descriptio \*) notionem rei non omnino exhaurire videtur; carent praeterea omnia in hoc libello proposita pro ratione operis eo cum reliquis juris doctrinis nexu necessario, qui tum doctrinae perspicuitatem, e tum persuasionis vim, tum applicationis facilitatem largiatur.

releberation Bessent o Caronia to Control to Quae cum ita sint et cum muneris novi suscipiendi ratio specimen quoddam juris a me postulet vel potius efflagitet, ad caufam vero majoris ambitus exponendam non adesset vacuum satis tempus et liberum; periculum facere apud me constitui, num forte hac de re, quae a jurisperitis adhuc erat quasi relicta, accuratius scribere possim. In quo mihi propositum non est, ut materiem istam omnem penitus exhauriam, cum ab eadem effectus tanti et tam late patentes pendeant, ut ad tantam rerum aliarum ex aliis nexarum seriem complectendam vix justus liber suffecturus esse videatur. Generatim igitur pro ratione confilii et occasione scribendi ideam tantum hujus rei informandam et extrema quali lineamenta ducenda censui, quae si forte lectoribus non omnino displicuerint, ad uberiorem hujus argumenti fractationem vel etiam ad totius loci de cambiis novam dilucidationem aliquando redeundi major dabitur opportunitas.

the risting is sixth william out followichen Wadhits by

Miterialien. S. 125, Iqq.

Sec.